DE

CYSTIRRHOEA MVCOSA SINGVLARIQVE HVIVSCE MORBI EXEMPLO

PRAESIDE

CAR. AVG. GVIL. BERENDS

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTOR. HVIVSQVE PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. CIVITAT. FRANCOFVRTAN. ET CIRCVL. LEBVSIENS. PHYSIC. REG. NOSOCOM. CIVICI THILEN. MEDIC. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOSOR. NEC NON SOCIET. REG. SCIENLIAR. ET ART. FRANCOFVRTAN. SODAL. ORD. MEDIC. H. T. DECANO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE HONORES

LEGITIME CAPESSITVRVS

A. D. VI. SEPTEMBRIS cIↄIↄCCCVI.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

IOANN. IACOB. HENR. EBERS

FLENSBVRGO - DANVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

FAVTORIBVS AMICISQVE

VIRIS EXCELLENTISSIMIS ATQVE EXPERIENTISSIMIS

D. WOLFFIO FRIDERICO GVILIEMO KLOSE

D. MAVRITIO HENRICO MENDEL

D. ANTONIO KROKER. JVN.

HANC COMMENTATIONEM MEDICAM INAVGVRALEM

D. D. D.

AVCTOR.

§. 1.

Cystirrhoeae mucosae definitio.

Mucosi humoris ex vesica vrinaria profluvium plerumque cum lotii emissione, raro adfectaque simul vrethra, fere perpetuum, a peruersa abnormique secretione cum cryptarum muciparum *tum* vasorum exhalantium in vesicae vrinariae interiori superficie oriundum, medicis cystirrhoea mucosa audit. Quae quidem muci excretio longe diuersis in morbis locum habet, quibus instar symptomatis adhaeret; nobis autem tantum de illa cysthirrhoea potissimum sermo erit, in qua proprium morbum vesica patitur, quem mox catarrhum vesicae, mox hymorrhoides vesicae mucosas dixerunt medici.

Quam

Quam vero hallucinati fuerint ſcriptores, in definiendis morboſis muci ex veſica vrinaria excretionibus, facile patebit, tot nomina conſiderantibus, quot vnum eundemque morbum inſigniuerunt viri celeberrimi, ſimulque tam varias adeoque inter ſe discrepantes huius morbi descriptiones ab iisdem clariſſimis viris profectas penſitantibus.

Namque eundem morbum dyſuriam mucoſam CVLLENVS, pyuriam viscidam vel mucoſam, nec non dyſuriam arthriticam, SAVVAGESIVS, rarum veſicae morbum FR. HOFFMANNVS, catarrhum veſicae LIEVTAVDIVS, 1) vocarunt. His denominationibus et illas cyſtirrhöae, 2) cyſtocatarrhi, 3) haemorrhoidum ve. veſicae mucoſarum, 4) blennorrhöae veſicae

1) CVLLENS Noſologie. 1. Theil. pag. 4. 123. Gattung.

2) Weikard Medicinisch - praktisches Handb. 3. Auflage, pag. 30.

3) Daniels Pathologie, 2. Theil, pag. 79.

4) Ibid, aliisque paſſim in loc.

ſicae 5) addere licet. Quodſi etiam varium morbum eſſe, merito fateberis, in quo iuſto liberalior muci fit in veſica vrinaria ſecretio ex eaque excretio: nihilo tamen minus, et in his generibus mucoſi ex veſica profluuii a ſe inuicem diſtinguendis, minus curioſe verſati ſunt medici. Enimuero, vt ne vberius commemorem cyſtirrhoeas, ex arthritide, calculo, ſpasmo, haerentibus alienis in collo veſicae corporibus, vel aliquo tumore aucta ex proſtata oriundas: ad hanc potius quaeſtionem tranſeo: num veſicae catarrhus et haemorrhoides veſicae mucoſae pro diuerſis morb*is* vere haberi debeant? Reilivs 6) Vogelivs 7) aliique hos morbos ſeparant; alii e. gr. Daniel et Wilibaldvs Schmidivs 8) iisdem nominibus eundem

5) Reils Fieberlehre, 3. Band. p. 550.

6) Ibid. p. 570.

7) Vogels Handbuch der practischen Arzeneywissenschaft, V. Theil, 5. Cap. p. 116. II. Th. p. 295.

8) a. Daniel's Pathologie l. c.

dem morbum insigniunt. Plurimi differentiae hos inter morbos prorsus incuriosi, idem morbi genus modo sub hac, modo sub illa denominatione adumbrasse videntur 9).

Qua de re, vt iuditium meum qualecunque interponam, fieri vtique posse existimo, vt cystirrhöa sine omni affectione haemorrhoidali saepe saepius oriatur. Quodsi vero haemorrhoides huic

b) Ueber die Krankheiten der Harnblase Vorsteherdrüse und Harnröhre etc., welchen besonders Menschen von höherm Alter ausgesetzt sind, von D. Wilib. Schmid. Wien 1806.

9) a. Weickards Handbuch l. c.

b. Detharding et Knavth Dissertatio de haemorrhoidibus vesicae mucosis vid. Alberti Halleri Disputationes ad morborum historiam et curationem facientes Tom VII. pag. 775.

c. Trnka v. Krzowitz, Abhandlung über die *H*aemorrhoidal*k*ran*k*heit nach dem Lateinischen von Knebel, 2tes Bändchen, Anhang p. 329.

huic morbo ortum ſuum vel maxime dederint, prorſus eadem eius forma erit, quam catarrhalis ſic dicta affectio veſicae vrinariae imprimit. Neque proxima continensque cauſſa diverſa eſt; ſiquidem hanc totam abnormi muci in veſica ſecretione contineri, neceſſe eſt. Eadem ſemper ſunt morbi phaenomena, vel ex veſicae catarrho, vel ex haemorrhoidum anomalia oriundi; niſi, quod ſiue haemorrhoides primam cyſto-catarrho originem ſubminiſtrauerint, ſiue longa catarrhalis affectio vaſa ſanguifera inteſtini recti veſicaeque vrinariae labefactauerit, ad muci morboſum profluvium, ſanguinis demum abnormis excretio accedat. Quae cum ita ſint, commune *cyſtirhoeae mucoſae* nomen, toti huic morborum generi tribui velim.

§. 2.

Opinionum, quas optimi ſcriptores hoc de morbo profeſſi ſunt, brevis recenſus.

Fuit hicce morbus iam pridem medicis notus; qui varias inter cauſas dyſuriae

eum

eum olim referebant. Inprimis autem GREGORIO HORSTIO 10) accuratiſſime cognitus fuiſſe videtur. „Diſtinguatur „autem, inquit, purulentum contentum, „a contento pituitoſo, quod ſit, quando „craſſa materia pituitoſa ſubſidet, quae „plerumque non eſt inſtar puris foetida, „ſemper autem tenax magisque cohae-„rens, vbi pus facillime diuiditur.“ Ita ETTMVELLERVS: 11) „obſeruatur ſub-„inde in dyſuria, quod ſimul excernatur „materia craſſa, mucilaginoſa et pituitoſa, „quae ipſa nihil aliud eſt quam nutri-„mentum veſicae, aut partium vrinaria-„rum proximum, quod ex iſtis partibus „laeſis et nonnihil excoriatis, continuo „exſtillans, vna cum vrina ſub forma „mucilaginis craſſae excernitur, quae ipſa „mucilago vrinae ardorem augere ſolet, „quatenus meatum vrinarium nonuihil „ob-

10) GREGORII HORSTII ſenior. Opp. medic. Tom I. cura GREGOR. HORSTII iunior Norimb. 166. Diſputat. XIV. de vrinis §. 47. pag. 307.

11) MICHAEL ETTMVELLER Opp. omn. Francofurt. ad Moenum 1688. pag. 388 et 389.

„obſtruendo, difficultatem infert in meien„do, vt non absque conatu et non abs„que labore fiat vrinae excretio.“

Porro LANGIVS profluuium ex veſica mucoſum commemorat. 12) DETHARDINGIVS 13) plura e veteribus medicis TIMAEO, SENNERTO, 14) FRID. HOFFMANNO, huius morbi adnotat exempla; etſi minus accurate HIPPOCRATIS auctoritate vtitur, qui in aphorismo *), quem laudauit DETHARDINGIVS, de renum et veſicae exulceratione locutus eſt. Plures fortaſſe ex veterum medicorum codicibus obſeruationes ſuper hoc morbo colligere, haud adeo operoſum fuerit, ſiquidem his nunc vacare liceret conſcribendaeque plenioris huius morbi hiſtoriae nobis eſſet conſilium.

Re-

12) LANGII Praxis medic cap. X. de morb. curation. §. 2. pag. 57.

13) vid ſupr.

14) Practic. Medic. Auct. DAN. SENNERTO §. 8. pag. 881 882 Witteb. 1684.

*) Sect. IV. 97.

Recentioris aeui inter medicos DETHARDINGIVS, TRNKA DE KRZOWITZ, VAN DER HAAR 15) LIEVTAVD 16) REILIVS, VOGELIVS, BAILHERON 17) WEICKARDVS, SPRENGELIVS, WILIB. SCHMIDIVS 18) aliique plures hunc morbum illustrarunt. Tantos viros etsi a longinquo secutus ego, cum eorum doctrina, meas, qualescunque obseruationes contuli. Quae si vel eo valeant

15) IACOB VON DER HAAR, Von dem häufigen Abgang eines Schleimes durch den Urin, ex act. Harlemensib. T. XVI. in Sammlungen auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte, 2. Thl. 1. St.

16) IOSEPH LIEVTAVD, Inbegriff der medizinischen Praxis, 1. Theil 1. B. p. 632.

17) Vid. Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte, 8. Th.

18) KVRT SPRENGEL Handbuch der Pathologie, 3. Th. pag. 105 106, WILIB. SCHMID. libr. laudat. pag. 69.

leant, vt peritissimorum medicorum sententiam confirment, haud frustra operam meam consumsisse mihi videbor.

§. III.

De caussis cystirrhöae.

Cystirrhöae mucosae caussam proximam contineri existimo morbosa aliqua diathesi, in vesicae vrinariae tunicis, maxime huius organi cryptis mucosis vasisque exhalantibus; neque profecto errauerit, qui id vitii genus ad debilitatem reuocet. Quod vero remotas huius morbi caussas attinet, huic morbo maxime obnoxius est virilis sexus, propior inprimis senio; porro ii, quos spirituosi potus amantiores singularis genarum nasique rubor (gutta rosacea oenopotorum) arguit, hunc in morbum valde procliues dicuntur 16). Praeterea cryptarum in vesica vrinaria debilitas, abnormisque irritabilitas, nec non vasorum

19) Reils Fieberlehre, 3. Band, S. 567 et 570.

rum ſanguiferorum laxitas, facilisque in finibus ſuis exhalantibus dilatatio, ſiue haec partium affectorum debilitas congenita fuerit, ſiue noxis mox dicendis acquiſita, ad hunc morbum disponunt. Inter noxas autem, ſeu occaſionales cauſſas profecto haud poſtremum locum occupant, quaecunque abdominis viscera paulatim infirmant; ideoque vita ſedentaria, alimenta minus idonea, veſtitus tenuitate vel anguſtia ſua nocens, medicinae purgantis abuſus, ſaburra vermesque inteſtinales hic omnino in cenſum veniunt. Porro, quae in veſicam vrinariam inimice agunt, frigus improuide admiſſum, diuretica languidamque venerem incitantia remedia, potus ſpirituoſi, acores inprimis vegetabiles, equitatio, onania, legitimae etiam veneris nimius vſus, urethrae genitaliumque ab iterata ſiphylide relicta debilitas, in ſexu autem femineo, quando et hic morbum nonnunquam patitur, luſtrationis vterinae vitia crebriorque partus, quatenus omnes hae noxae, et vniuerſum corpus, et veſicam vrinariam partesque iuxta eam poſitas male afficiunt, in cyſtirrhöae cauſſis occaſionalibus recte habentur, in

eos

eos certe efficacioribus, qui debilitatem vesicae vrinariae iam contraxerunt.

Nulla autem cystirrhöae causa haemorrhoidibus frequentior, quae propter partium vicinitatem, vasorumque coniunctionem, vt fluorem album, ita quoque vesicae fluxum mucosum proferunt. Modum autem, quo haemorrhoides locmuci ex vesica profluuium excitent, satis accurate haud definiueris. Apertus quidem nocendi modus est, si intestinum rectum iis vitiis, varicibus nempe inflammationibusque affecerint, quae ad vesicam illam irritationem propagent. Congestionibus etiam passiuis circa vesicam vrinariam, egregie fauet haemorrhoidalis morbus, isque longinquus.

Ortus ab aucta prostata aut indurata, fluxus vesicae mucosus ad cystirrhöam proprie non pertinet; WICHMANNVS 20) quidem ex prostatae vitio hunc morbum non rarissime vult prouenire.

---

20) Ideen zur Diagnostick, von WICHMANN 3ter Band, pag. 23.

§. IV.

De cystirrhöae diagnosi.

Raro huius morbi praui effectus intra vesicam vrinariam se continent, vt pro mere topico vitio morbus haberi queat. Plerumque ad plura organa, imo ad totum corpus morbi effectus propagantur. Morbus hominem inuadit saepe subito; interdum molestiis nonnullis nuntiatur. Si cum haemorrhoidibus est, harum symptomata habet et antecedentia et concomitantia: spasmos nempe intestinorum, aluum abnormem, saepe obstructam, lumborum dolores ad vesicam propagatos, ipsius vesicae dolores vagos pungentesque, singularem grauitatis sensum in abdomine 21), compressionem perinaei, cum eius dolore, ardore sudoreque. Isti dolores noctu inprimis aegrotum excruciant; eosque ali-

21) Vide morbi exemplum in dissertationis calce enarratum.

aliqua perinaei desquamatio insequitur 22). Angunt insuper aegrotum, praeter ardoris et tensionis sensum in uesicae vrinariae regione, cum spastica ipsius vesicae contractione, molestiae plurimae inter mingendum atque spasticae penis testiculorumque retractiones 23) Sub his cruciatibus morbosae irritabilitatis, quae vesicam inprimis male habet, effectibus, ipsum illud muci ex vesica profluuium incipere solet. Etsi vero non semper cum toto illorum symptomatum comitatu, admodum tamen raro sine nonnullis ex recensitis molestiis cystirrhöa incipit. Quam tamen in iis, quos haemorrhoides dudum male habuerint, minores molestias praecedere, solenne est. Saepe vesicae dolores cystirrhöae nuncii paucos post dies silent, breuiorique etiam tempore stranguria finitur.

22) Kurt Sprengels Pathologie, 3. Thl. pag. 107. Trnka v. Krzowitz, über die Hämorrhoiden, 2. Bändchen, pag. 341.

23) Reils Fieberlehre, 3. Band. pag. 559.

Subinde, etiamsi ad catarrhum magis accedit morbi natura, sine longicruciatibus cystirrhöa subito fere incipit; quod LIEVTAVDII et REILII 24) aegrotis ita accidisse videtur.

Mucosi humoris per vrethram excretio, diuerso gradu locum habet. Lotium, pauco tantum muco infectum, turbidum mingitur et flocculentum; secedentibus post aliquam moram particulis mucosis, antea in lotio solutis. Sub maiore muci excretione, hic fere purus sine lotii mistura ex vrethra exprimitur; quod ea subinde sit quantitate, vt minus probare queam assertum TRNKA DE KRZOWITZ 25), ad aliquot vncias muci excreti quantitatem aestimantis. Certe ipse in duobus aegrotis, dimidi-vm

---

24) LIEVTAVD'S medizinische Praxis 1, Theil, 1. Band der deutschen Uebersetzung, p. 632.

REILII Memorabil. clinicor. Fasc. II. pag. 167.

25) TRNKA v. KRZOWITZ, von den Haemorrhoiden, 2ter Band, p. 340.

vm matulae mucum repleuiſſe, iteratis exemplis vidi. *)

Muci forma fere conſpicitur glebosa, tenax quidem, vt in longa ſe duci fila patiatur mucus, maxime tamen viscidus. Colorem aemulatur albidum, vix ſubflauum, qualis fere mucilagini ſeminum cydoniorum color eſſe ſolet. Vix ſaturum magis colorem ille mucus oſtendit; niſi forte medicaminum, inprimis vuae vrſinae vſus hunc addiderit. Sub vehementiori cruciatu emiſſus, ſtriis ſanguineis notatur. Porro odoris expers eſt iſte mucus; quam omnis graueolentiae in hoc muco abſentiam, pro pathognomico huius morbi ſigno equidem habuerim 26).

Alii

*) Confirmat hanc obſeruationem et ſuo rerum vſu *Praeſes*, incredibilis eſt muci gelatinae aemuli copia, quam plures etiam per dies, nec ſine multiplici incommodo, dum partim vrinae difficultatem experiuntur, partim eius incontinentes ſunt, cum lotio aegroti excernant.

26) TRNKA v. KRZOWITZ, 2. Theil. pag. 339.

REILS Fieberlehre, 3. Theil. pag 560.

DETHARDING, Diſſertat. etc. §. V. pag. 782 et 783.

Alii quidem morbi cum cyſtirrhöa coniuncti, alieno odore mucum inficere poſſunt; contenduntque DETHARDINGIVS et TRNKA de KRZOWITZ 27) viri clariſſimi, in ſenibus hoc morbo affectis peculiarem acremque eſſe huic muco odorem. Equidem, a ſola immunditia muci foetorem eſſe, ſi quando obſeruatur, perſuaſum habeo; ſiquidem in altero huius morbi, quod vidi, exemplo, maiorem munditiei curam, omnem foetorem dispuliſſe vidi. *)

Aliquis dyſuriae gradus ſemper cum hoc morbo coniunctus eſt; eo maior tamen, imo in ipſam ischuriam degenerans, ſi veſicae vaſa, vel adeo eius tunicae, morbo intumuerunt. Inprimis, ſi tunicae veſicae craſſescunt, huius contractilitas

27) TRNKA de KRZOWITZ. pag. 339. DETHARDING. pag. 783.

*) Hac in re cum clariſſimo Diſſertationis auctore, *Praeſidi* non omnino conueni, qui mucum quidem non admodum foetere, lotium tamen ſemper teterrimum odorem ſpirare, obſeruauit.

tas magis magisque diminuitur, vt propter summam atoniam, aut paucissimum lotium mittatur, aut vrina prorsus in vesica retineatur. Hinc spastici etiam dolores, cystirrhoeae frequentes comites, qui efficiunt, vt vrinae parca copia, cum paucissimo muco, iteratis tantum conatibus excernatur. Est vero tenacior vel copiosior mucus sibi ipsi obstaculo, quo minus e vesica excerni possit. Sub hac morbi conditione, dolor vehementissimus et vesicam et vrethram, ad penis glandem vsque simulque perinaeum cum ano occupat, eo maxime tempore, cum vrinam mittit aegrotus. Si vero mucus et minus tenax et minori copia vrinae admistus, cum ea profluit, incommoda multo minora adsunt. Excreto muco lotioque, dolores semper a vehementia sua remittunt, qui tamen toties recrudescunt, quoties mucus in vesica denuo accumulatus, partes affectas iterum excruciat.

Cystirrhoea mucosa vel simplex obseruatur, vel cum aliis morbis, maxime haemorrhoidibus coniuncta. Mitiorem modo esse, modo vehementiorem, iam monuimus. Raro acuta, tantum non semper

ſemper chronica obſeruatur. Vno plerumque impetu decurrit; haud raro tamen, inprimis, ſi cum haemorrhoidibus eſt, exacerbatur ſtatis veluti temporibus; ideoque interualla aegroto concedit. Summo mane, veſpertinis nocturnisque horis, peſſime ſe habere ſolet aeger, ab vrina et muco his temporibus accumulatis 28)

Morbi naturam hyperſthenicam vnquam eſſe, vix crediderim; pertinet potius ad aſthenias directas. Quibus placet irritabilitatem diſtinguere ab energia, hanc imminutam dicunt, illam iuſto maiorem. Num omnino hac enormitate morbi natura ſatis declaratur?

Triplicem huius morbi annotare licet euentum: primus eſt, vbi morbi initioris ſymptomata paullatim imminuuntur et cum productio muci, dolores paullatim ſilent liberaque iterum ſuccedit vrinae excretio; atque ſic morbus in ſanitatem feli-

28) Henkel in act. natur. curioſor. apud Trnka de Krzowitz pag. 370 etc.

feliciter finitur. At enimuero, grauiori ſub morbo, vaſa veſicae diutius dilatata, organaque muci ſecretoria vehementius exercita, ad priſtinae integritatis normam vix ſe prorſus reuocari patiuntur; vnde ſit, vt fere remaneat perpetuum aliquod muci profluuium, morbusque breuiori longioriue interiecta mora, fiat recidiuus atque aegrotus omni in mittenda vrina incommodo nunquam careat. Hic alter ſolet eſſe morbi euentus, isque frequentiſſimus. Quodſi autem morboſa muci ſecretio ſemper augetur, ſymptomata aeque ingrauescant, neceſſe eſt; minctio naturae energia prorſus non ſuccedit, ſed ſolius artis beneficio veſica vrinaria, tum a lotio, tum a muco quotidie euacuari debet; iam ipſa veſicae fabrica prorſus abnormis fit et morboſa; vnde partium affectarum demum exulceratio, quae peſſima phthiſi aegrotum exanimat; qui tamen et ſine vlcere eiusque effectibus febre hectica nonnunquam conſumitur.

Accidit interdum, vt compreſſis veſiculis ſeminalibus, a veſica vrinaria maiorem in modum extenſa, vel alter, vel vter-

vterque testiculus, saepius etiam sola epididymis, cum funiculo spermatico intumescant. Quae nouae molestiae facile accedere possunt, si ipso sub morbo, res venereas tractat aegrotus, vel cum ingente nixu, lotium exprimere conatur, vel imprudente catheteris vsu, partes affectae laeduntur. Hinc morbus facile exasperatur, vt inflammationis vesicae, vel adeo eius vrethraeue rupturae periculum aegrotus subeat.

§. V.

Breuis earum aegritudinum conspectus, quae propter simillima symptomata, cum cystirrhoea forte commutentur.

Sunt vtique plura excretionis mucosae, pituitosae et purulentae, ex partibus genitalibus genera, quae cum cystirrhoea mucosa facile commutentur. Sed dispar est in omnibus his profluuiis morbi causa et origo. Constat inter omnes, arthritidem, calculos vesicae, prostatae tumorem atque vrethrae angustias sic af-

afficere saepe sepius vesicam vrinariam, vt iusto maiorem muci copiam secernat. Haud quidem facile cum diabete morbum hodie commutaueris; quod veriti sunt veterum medicorum nonnulli. Sed cum gonorrhoea alboque fluore, siquidem hae affectiones summum gradum adeptae fuerint, pariter ac cum purulento ex renibus, vesica vrinaria, nec non vteri profluuio, cystirrhoea permutari poterit Haud igitur infructuosum fuerit, paucis ea signa adumbrasse, quibus permutatio horum affectuum caueri possit.

Quod calculum vesicae attinet, singulari foetore, nec non admistis arenulis a puro muco e vesica profluo distinguitur 29). Hae notae sufficiunt, vt medico calculi suspicionem moueant, illumque ad ceterа

29) de HAEN Rat. medendi Pars V. cap. 5 Sect 6.

MVRRAY Comment. de Arbut. vu. vrsi. Goetting. 1764. Sect. III. §. 6.

tera calculi ſigna tum ex vrina, tum e ſymptomatibus concomitantibus colligenda, attentum eſſe iubeant.

Magis forſitan medicus haerebit in discernendo a cyſtirrhoea mucoſa veſicae profluuio arthritico, et quoad mictionem dolentem. illius fere aemulo. Sunt tamen non nullae profluuii mucoſi arthritici notae haud omnino obſcurae Mucus fere puriformis, multo minus tenax minusque globoſus, quem arthritici dimittunt, inſuper ſedimento cretaceo, quod vrina deponit, diſtinguitur Porro arthriticorum lotium acidum ſpirare ſolet odorem; neque chemica exploratio materiae, quam vrina deponit, ad detegendam morbi ex arthritide originem, fruſtra ſuscipietur 30)

Quod ex anguſtiis vrethrae proſtataeue tumore aliisque inpedimentis naſci-

30) WOLLSTON über die Materie der Gichtknoten, in HORKELS Archiv für thierische Chemie. 1. Band. 1. Heft. pag. 144.

ſcitur mucoſum profluuium, ſatis facili encheireſi detegitur; ne dicam de ſingulari adſpectu et habitu eius humoris, quem proſtata interdum in minctione, aut alui exoneratione dimittit.

De cantharidibus, quas interno externoque vſu veſicam vrinariam ſatis grauiter exercere, dudum inter medicos conſtat, CRVIKSHANKIVS monuit, eas et vrinam ita afficere, vt fere coaguletur. In vehemente ſtranguria ab hoc veneno orta, vrina conſiſtentiam admodum gelatinoſam retulit, ita vt fere hydatidum glomerem continere videretur. Huius autem veneni ſigna ſatis euidentia ſunt, vt morbus, quem veſicae attulit, ſatis brevis et acutus cum cyſtirrhoea commutari nequeat 31).

Credidit tandem THEDENIVS 32) phallorrhoeam cum cyſtirrhoea commutari poſſe;

31) HORKELS Archiv. 1. Band, 1. *Heft.* S. 25.

32) Bemerkung. u. Erfahrung. zur Bereicherung der Wundarzneikunſt etc. von I. C. A. THEDEN. 2. Thl. S. 214.

nobis autem vterque morbos satis a se inuicem distinctus videtur. In phallorrhoea enim, ex inflammata vrethra prorsus singularis humor, primo aquosus, deinde viscidus, subflauus, puriformis singularique odore imbutus perpetuo et guttatim destillat; dum in cystirrhoea mucosa mucus longe maiore copia atque sub ipso mingendi conatu et haud sine aliquo vesicae tenesmo excernitur. Eaedem notae adsunt fere in gonorrhoea muliebri; fluoris autem albi symptomata satis manifesta sunt.

Si chyluriae locus inter morbos concedendus esset a diabete distinctus, ipsa symptomata, quae de chyluria commemorantur, quam diuersa haec sit a cystirrhoea mucosa, satis docerent superque 32) Memorant enim vrinam, lactis colore profluere, sine omni suspicione laesorum renum vel affectae vesicae. Volunt etiam, vrinam hunc lactis colorem illico, dum vix missa sit, referre, sedimentumque, quod deponat, agitatione facile et aequabiliter cum vrina iterum mis-

32) REILS Fieberlehre. 3. Band. pag. 565.

miſceri. Quae omnia a cyſtirrhoea mucoſa prorſus aliena ſunt.

Haud multo maiore opera puris ex veſica profluuium ab illo muci diſtinguitur; niſi forte infelix vtriusque morbi connubium diagnoſin minus certam reddat. Veram pyuriam inflammatio cum ſuis ſignis praecedit. Nato ſemel in vrinae viis pure, aegritudo continuo impetu decurrit, nec locum dat interuallis, quae in cyſtirrhoea mucoſa vtique obſeruantur. Vix etiam puris excreti quantitas, cum ea muci in cyſtirrhoea comparanda est. Praeterea pus illico fundum matulae petit, agitatione cum vrina, quam tingit, iterum miscetur, foetet, ab admiſſo kali carbonico ſubſtantiam efficit, gelatinae ſimilem, fere diaphanam; prunis vero iniectum foetidiſſimum odorem illico ſpargit. *)

Quae

*) Recentiſſima ſunt cl. DAVCHERI cum pure chemica pericula. Negat vir clariſſimus, pus ex veſica vrinaria cum lotio mixtum, gelatinam exhibere; ſedimentum tantummodo demittere concedit, DARVINI quidem methodo tenta-

Quae cum ita ſint, cyſtirrhoea mucosa his ſignis veluti pathognomicis deprehenditur:

I. Qualitate materiae excretae, quam ſupra ſatis accurate deſcripſiſſe, nobis videmur.

II. Singulari doloris ſensu, tantum, dum vrina mittitur, vrgente, perinaeum, penemque, inprimis autem vrethram a veſicae collo vsque ad penis glandem occupante. In grauiore morbo hi dolores non quidem omnino ſilent; attamen moleſtiſſimi et cum ſingulari veſicae teneſmo in ipſa vrinae excretione percipiuntur.

Fa-

tatum; poſt mortem autem ex ipſo veſicae vlcere ſumtum, in gelatinam à kali admiſto cogi, contendit; hocque pus colore flauum, kali odorem ſparſiſſe acidique ſaporis fuiſſe, aſſerit. G. L. DAVCHER moment. quaed circa variam puris indolem in variis corpor. human. partib. ſupurat. Virceburg. 1804. Cf Medic. chirurg. Zeit. 1805. B. IV. p. 73.

Facile tamen concesserim, cum in viarum vrinariarum morbis, diuersorum vitiorum complicationes facile locum habeant, aliudque ex alio vitium haud raro subnascatur, diagnosin valde dubiam et obscuram in singularibus exemplis haud adeo raro esse.

§. VI.

De prognosi in cystirrhoea.

Vix est, quod diserte moneamus, morbum recentem mitioremque facilius curationem accipere, cystirrhoea vehementiori, iam saepe recidiua, diuturnaque. Etenim, si morbus minoris vehementiae est, neque, etsi diutius hominem traheret, vesicae vrinariae fabricam laesit, viresque aegroti sufficiunt: quin cum sanitate in gratiam perfecte redire possit aegrotus, dubitandum non est. Contra autem in cystirrhoea diuturna, saepius recidiua, cum ingente muci secretione, summisque in lotio mittendo molestiis, accedente simul maiore virium prostratione, perfecta curatio morbi minus suc-

dit; omnisque medici opera in eo collocanda eſt, vt morbum imminuat, vrinae excretionem faciliorem reddat, fatiscentibusque aegroti viribus ſuccurrat. At enimuero et his finibus toties fruſtra operam ſuam commodabit medicus, quoties veſicae tunicae longo morbo craſſicores vitali energia iam deſtitutae ſunt, vaſisque veſicae valde dilatatis, cryptae muciparae maiorem in modum irritatae abnormem muci ſecretionem ſemper pergunt, lotiique excretio ipſa partim valde moleſta partim omnino impedita eſt. Imo, ſi cuncta haec ſymptomata, ſummum gradum consecuta ſunt, tot malorum, non niſi breue lenimen ab arte medica exſpectaueris.

Hanc muci ex veſica excretionem vnquam ſalubri naturae conſilio fieri, morbi materiem hac via e corpore proſcripturae, nemo profecto hodie erit, qui contendat.

Enimuero cyſtirrhoea non ſolum per ſe ſemper morboſa eſt, verum etiam effectibus ſuis grauiſſimum ſaepe periculum

lum facile adducit. Fabrica enim vesicae maiorem in modum laesa, cystitis eiusque effectus, vesicae suppuratio et gangraena, vel immedicabilis ischuria ipsiusque vesicae rupturae, vtique pertimescdae sunt. Praeterea ad morbum grauiorem et diuturnum, propter laudabilis humoris mucosi iacturam doloresque perspetuos, somni defectum et anorexiam, febris hectica demum accedit, vires aegroti quotidie magis magisque consumens.

§. VII.

Consilia et praecepta de cystirrhoeae curatione.

Cum a proposito et consilio nostro alienum sit, integram huiusce morbi describere curationem; siquidem nemo ignorat, asthenicam huius morbi naturam incitantem medendi methodum generatim poscere, atque incitantia et roborantia remedia, quae illa iusserit, ea prudentia adhibenda esse, vt partim affectarum inprimis partium debilitati succurratur, partim

tim toti corpori suum robur suaque energia restituatur, simulque earum functionum, quae vegetationis officio praesunt, iusta habeatur ratio: in eo potissimum opera nostra se continebit, vt, quae vsus nos inprimis docuerit, ad vincendum hunc morbum, idonea cum lectore breui sermone cummunicemus.

Primam medici attentionem causae morbi remotae poscunt. In his molimina haemorrhoidalia, nec non intestini recti vitia, ex haemorrhoidibus forte iam nata, medicum moneant de restituendo haemorrhoidium fluxu; siquidem adhuc spes est fore, vt sine maiore noxa legitimus haemorrhoidum fluxus se renocari patiatur. Vitia autem intestini recti ita curanda sunt, vt eius tunicis debitum concilietur robur, humorumque in eas nimiae affluentiae obex ponatur.

Si morbus, quod tamen raro fieri posse credimus, in hypersthentiam vergit, non tam cystirrhoeae, quam potius cystitidis formam exprimit, aliaque longe curatione eget, ei, quae cystirrhoeae debetur, fere prorsus contraria.

Cystir-

Cyſtirrhoeae natura plerumque aſthenica, ex illa quidem; debilitate, quam vulgo directam vocant, maxime oriunda ideoque remedia incitantia et roborantia cum ſumma prudentia adhibere iubet.

Praecipua laude in huius morbi curatione remedia ſulphurata digna habuerim; in his kali ſulphuratum et calcaria ſulphurato-ſtibiata, poſterior quidem decoctione ſoluta maxime commendari merentur. Remediis ſulphuratis medicinae tonicae nomine ſubiungere licet, extracta amara. Si morbus ab haemorrhoidibus vel nunc vrgentibus certe proficiſcitur, incitantibus illis medicaminibus kali acetici vel tartarici modica copia recte additur.

Quod ſi iam licet ad efficaciorem roborantem medicinam progredi, haec ex foliis' amygdali perſicae recentibus quidem et mox ſiccatis, vel ex foliis vuae vrſi, remedio ad veſicae debilitatem tollendam non ſatis laudando, recte petitur; neque ſummitates millefolii ſpem facile fallent, quam in eo collocarunt maiores noſtri. Externa inter remedia campho-

phora debita encheiresi beneficio saliuae in linimenti formam coacta, tum regioni vesicae, tum perinaeo longe vtilissime infricatur; simulque in vesicam iniectiones primo demulcentes et mucilaginosae, deinde magis incitantes et roborantes ex tussilagine farfara, millefolio et vua vrsi recte fiunt; ita tamen, vt summae sensilitatis partium affectarum memineris. Porro balneorum et semicupiorum in hoc morbo magna est vtilitas. Illa balnea ex sulphure inprimis paraveris; morbo fere superato, ad balnea magis roborantia, quibus et ferrum recte additur, progredi licet. Balneorum vices aliquo modo gerunt fomentationes, quibus vesicae regio et perinaeum diligentissime curatur.

Enimuero, si morbus hominem diutius traxit maiorque iam nata est vesicae imbecillitas, mitia illa remedia, a nobis hactenus laudata, nec ad peruersam muci secretionem cohibendam, nec ad morbum persanandum sufficiunt. Iam ad ea remedia veniendum est, quae partibus fixioribus adstringentibus roborantibusque abundant. In horum remediorum censum, teste clarissimorum vi-

rotum

rorum experientia, veniunt, alumen, lignum Campechense, cortex Peruuianus, ſuccus catechu, radix calami, cinamomum, medicamina ex ferro parata, ipſiusque alicuius fontis medicati martialis legitimus vsus. Memorabile eſt exemplum GRASHVISSII 34) qui cinchonae et catechu tinctura cyſtirrhoeam mucosam viginti annos aegrotum male habentem atque ex hoc diuturno morbo fere iam confectum feliciter perſanauit.

Morbi atrocia veſicae ſpasmis mirifice augetur. Proſunt contra hos ſpasmos enemata ex radicis valerianae ſeminisque lini ſatura infuſione, parua copia, ſed frequenter in inteſtinum rectvm iniecta, nec non linimenta ex oleo hyoscyami, camphora, liquoreque ammonii cauſtici hypogaſtrio et perinaeo, diligentiſſime affricta. Nos quidem ingens ſolatium obſeruauimus ex petroleo vnguento althaeae ſatis temperato, quo affectas partes aſſidue inungi, curauimus.

34) REIL, 3. Band, pag, 575. TRNKA KRZOWITZ, 2. Band, pag 362.

mus. Neque ſub tanta ſpasmorum atrocia praetermittendus eſt remediorum incitantium, inprimis valerianae, camphorae, ipſiusque opii debitus internus vſus.

Magna debet eſſe in catheteris ſubſidio cautio. Si vllo modo fieri poteſt, a catheteris vſu in hoc morbo abſtinendum eſt; facile enim illius applicationem longe maiores moleſtiae, ex magna ſenſilitate affectarum partium oriundae ſequuntur. Si vero iſchuria pertinax catheteris applicationem iubet, ille quidem flexilis prudentiſſime et leniſſime ſuspenſaque veluti manu, in veſicam adigendus eſt.

Vel ipſo cathetére magis fugienda ſunt remedia diuretica acriora; neque vllo modo laudauerim balnea frigida, etſi a nonnullis commendata. Embrocationibus, tepidis vtique et ex incitante materia paratis, inter remedia aduerſus diuturnum malum in uſum vocanda, locum equidem conceſſerim; quamuis valde dubitem, fore, vt in diuturno morbo cum fabrica veſicae maiorem in

mo-

modum laesa coniuncto, et haec remedia, et alia quaecunque speratos ferant effectus.

§. VIII.

Morbi historia.

Iohann Georg L—l sartor, quadraginta annos natus, vir satis robustae constitutionis, ex anno viduus, cystirrhoeae exemplum nobis obtulit, exitu suo prorsus memorabile.

Olim matrimonio sibi iuncto prostibulo et in coniugio vitam pergente meretriciam, omni tamen syphilitica labe vacauit. Prolem neque ex hac neque ex altera, quam vndecim ante annos ducebat vxore, suscepit. Hactenus bene valens leuioresque tantum molestias, praeter haemorrhoides, passus nulliusque noxae, quae forte praecessisset, memor, subito incidit in vrinae difficultatem, mucique satis magnam vim cum vrina profluere vidit. Quam aegritudinem per tres quatuorue dies perpessus, postea satis bene valuit, etsi eundem morbum

bum, minime tamen vehementem, poſt breuiores longioresue inducias, ſaepe experiretur recidiuum. Quinque vero ante annos et quod excurrit, aegritudo haemorhoidalis cum ingente lumborum dolore, anorexia, infimique ventris tumore, rectique inteſtini varicibus maiorem in modum increuit atque tot aerumnis minctio difficilis dolentiſſimaque ſe addidit comitem. Plures noſter medicos conſuluit, qui calculum ſubeſſe rati, in leniendo hoc morbo parum profecerunt. Hos ante tres annos, vt vrinam emitteret, catheterem in vrethram vrſit chirurgus, tam infelici cum euentu, vt cum atrociſſimis doloribus nihil lotii, ſed magna vis ſanguinis proflueret; commemorarique vtique meretur, dolores iſthmum vrethrae iam tunc temporis occupaſſe vehementiſſimos. Medico in auxilium vocato, qui hunc morbum calculo minime tribueret, ſed potius ex haemorrhoidum anomalia explicaret, totamque aegritudinem pro haemorrhoidibus veſicae mucoſis haberet, curationemque ſuam ad hanc veriorem morbi naturam componeret: noſter cum ſanitate fere in gratiam rediit, nihilque ex victo morbo

in-

incommodi ſenſit, niſi quod ſedendo tantum neque ſine aliquo, etſi fugitiuo dolore vrinam mittere poſſet. At enimvero, mortua quam ſecundis votis ſibi iunxerat vxore, de violata in eam fide anxius, in melancholiam incidit, ſimulque diuturni ſui morbi maiores calamitates perſenſit; fuitque eo tempore (menſ. Iun. MDCCCV) haec fere miſeri hominis conditio. Corporis quidem, minime emaciati adſpectus vix tantam aegritudinem prodidit; attamen ingentem debilitatem atque laſſitudinem, anorexiam, ructus ingratos, ſingularemque grauitatis in abdomine, veluti ex prolapſuris visceribus ſenſum queſtus eſt. Inteſtinum rectum varicibus nucis auellanae magnitudine deturpatum, vehemens ardor occupauit; flexoque incedere corpore grauis lumborum dolor noſtrum coegit. Veſpera febris acceſſit cum nauſea et vomituritione. Totum abdomen intumuit; maxime regio hypogaſtrica, quae et vaſa ſanguifera turgida prominentemque oſtendit vrinariam veſicam. Coles minime tumens, in glande ſua praeputio tegebatur; cryptae penis ſebaceae plurimum ſebi admodum viſcoſi ſecreuere.

Ad

Ad lotium mittendum perpetuus vrſit ſtimulus, expreſſitque raro cadentes vrinae guttas, ſaepe inuoluntarias, cum perpetuo illo circa vrethrae iſthmum dolore. Lotium magnam muci flocculenti vim, ſubinde, dum magna contentione vrinam exprimeret, nonnihil ſanguinis habuit. Nunquam alio corporis poſitu et ſitu, quam ſedendo, vrinam mittere potuit.

Noxas confeſſus eſt minime leues, diu in ſe admiſſas, a quibus et nondum temperauit. Meracioris cereuiſiae vinique aduſti ſtrenuus potor, in deliciis ex herbae Nicotianae fumo, diem multisque inde prolectis ſputis vires conſumſit. Cibi parum cepit, ob annonae quidem charitatem, alimentis concoctu difficilioribus paneque viliori vſus.

Saepe ſaepius magno niſu vrinam expreſſit, ſedendo fortiterque genua parieti applicans, ſimulque altera manu regionem veſicae, altera vrethrae iſthmum comprimens; qua encheireſi effecit, vt iterato flumine vrina profiliret.

Saepe

Saepe monitus, vt tam horrendam vim ſibi non inferret, nec huic monito nec caeteris medici ſui conſiliis morem geſſit.

Medicus vero, vt aegritudini haemorrhoidali cum debilitate viscerum abdominis coniunctiſſimae laborantique veſicae vrinariae opem ferret, extracta amara cum kali carbonico aqua menthae piperitae ſoluta aegroto commendauit, bibereque eum iuſſit infuſionem foliorum vuae vrſinae, amygdalique Perſicae. Regionem veſicae vrinariae, linimento ex vnguento althaeae, petroleo opiique tinctura, nec non fomento ex herbis aromaticis curauit, decoctionemque vuae vrſinae in veſicam praecepit iniici. Quae diligens curatio tantum ſolaminis aegroto attulit, vt parco blandoque ſanguinis ex inteſtino recto fluxu, haemorrhoidalis aegritudo maiorem in modum remitteret, minctio multo expeditior fieret, multis tamen veluti obturamentis ex viscido muco cum lotio excluſis, ciborumque appetitus viresque aegroto reſtituerentur. Mox culpa ſua incidens in febrim intermittentem quotidianam, ab hac ſatis bre-

breui tempore beneficio opii et corticis Peruuiani vindicatus, ſub febris tamen decurſu, ingentem vim muci, ſine lotio quidem ex vrethra dimiſit. Sibi vtique melius valere viſus, et propter res domi anguſtas, in medicaminum vſu pergere non potuit.

Breui tamen poſt beneficii particeps factus, vt cum aliis pauperibus morbo oppreſſis, optimorum ciuium Vratislauienſium ſumptibus aleretur, a viro excellentiſſimo medicoque praeſtantiſſimo W Fr. G. Klose, inſtituti illius Vratislauienſis, quod pauperum aegrotorum ſaluti conſulit, moderatore, meae imprimis traditus fuit curae. Publice in medicum praeſtantiſſimum, amicum et fautorem ſingularem, gratum meum animum profiteor, quod, quam ipſe alio in loco multo ornatius enarraturus eſt huiusce morbi hiſtoriam, a me hic ſcribendi opportunitate ſuccincte exponi, pro ea, qua in me eſt voluntate permiſerit.

Aegrotum autem noſtrum per menſis fere ſpatium et medicamentis medici-

ci.

cique confilio deftitutum, et genio fuo ita indulgentem, vt in Veneris etiam caftris ftrenue militaret, maiorem in modum debilem, macieque fere confectum et prorfus elumbem confpexi. Varicibus ani iterum vexatus, poft fuetos in victu et regimine errores, haud paruam vim fanguinis in grumos coacti ano fe exturbaffe, mihi affirmauit. Ipfo, quo inter aegrotos recipiebatur, die perpetuum ad mingendum ftimulum perfenfit, miffis tantum et cum acerbo dolore paucis lotii guttis. Lotium mittere contendens ad aluum exonerandam ftimulum illico fenfit. Vefica vrinaria manifefto et cum aliqua duritie intumuit; anxietates noctu imprimis vrgentes aegrotum oppreffe-runt, fomno, quem et perpetuus ad mingendum ftimulus interpellaret, minime refocillatus. Periit omnis ciborum appetitus, contra vrfit fitis moleftiffima, quam, ne potus vrinae fecretionem augeret, fallere non aufus eft. Haec quidem ei commendata fuere remedia:

Rec. Calcariae fulphur. ftibiat. dr. II. coq. c. aq. com. libr. III. ad remanent, lib. 1ß. Decoctionem adhuc

huc feruid. ferua in vitr. bene clauf. S. Sumat aeger quater quotidie tres circiter vncias cum aequis lactis partibus.

Rec. Fol. vuae vrfin. vnc. II. rad. glycirrhiz. conc. vnc. ℞ M. S. Decoctio cum aquae communis Menf. II. inferuiat potui.

Rec. Camphorae ope fpir. vin. puluerat. dr. II. S. Adhibeatur cum faliua ad perinaei et regionis veficae infrictiones.

Simul balneo quotidie vfus eft tepido XXIV° Therm. Reaumur. Balneum habuit kali fulphurati vnc. II.

Infuper ferio monitus, vt vino adufto abftineret, alimenta ei commodata fuerunt, quae debiles vires inftaurarent.

In hac curatione per menfem fere perreximus, vtique cum infigni aegroti lenimine, qui dolore fere vacuus, non folum vrinae excretionem, cum veficae vrinariae tumore et duritie valde immi-

nu-

nutis, longe minus difficilem expertus; interdum etiam ſtando vrinam mitteret, muci parum excerneret, omni lumborum abdominisque dolore, ani varicibus, profluuioque cruento vacaret: verum etiam inſtauratarum virium meliorisque nutritionis, valentiore corporis ſui habitu, fidem faceret. Quicquid ſupererat moleſtiae, in minctionis modo conſpicuum fuit. Stimulo nempe ad mingendum ſaepe ſollicitatus, lento vrina profluebat flumine, et niſi iſthmum vrethrae comprimeret, in hac aliquid obſtaculi, quod liberae excretioni remoras necteret, experiri ſibi viſus eſt. Sic peſſima encheireſi, quam in lotio mittendo, nequicquam, vt intermitteret monitus, adhibebat, id tandem effecit, vt moleſtiis interdum auctioribus, nonnihil ſanguinis e veſica exprimeretur.

Remedia, quibus hactenus vſus fuit, maiorem in modum nauſeanti aegroto praebuimus, ſolutionem vnciae dimidiae kali carbonici in aquae menthae piperitae vnciis octo, cuius quidem omni

bihorio cochleare assumsit, atque illico aceti vini cochleare superbibit. Addidimus vuae vrsinae decoctioni, dulcamarae stipites, atque in camphorae infrictionibus balneorumque vsu perreximus. Sed vsum kali carbonici descriptum alui fluxus secutus est, paullo cruentus. Camphorae igitur dimidium granum iteratis praebiis datum est, tam laudabili cum euentu, vt compescita diarrhoea, praeter minores in lotii emissione molestias, nil fere incommodi persentiret. Itaque a graui suo morbo satis restitutus, a nobis I. Octobris ea sub lege dimissus est, vt ilico rediret, simul ac morbi aliqua iterum sentiret incommoda, vel paulo maiora. Supplex, vt iterum reciperetur, noster rediit d. VI. April. hasque suarum rerum rationes reddidit. Satis bene valens, mox in pristinos errores delapsus, insuper curis anxius, neque tamen a coitu cum prima vxore, quacum diuortium fecerat, deterritus, sex circiter ante hebdomades, maiora in minctione iterum expertus est imcommoda, excreta etiam cum lotio magna muci copia. Ceterum vrinam supra descripta en-

encheireſi ſemper fortiter exprimens, genioque ſuo indulgens, aegritudinem ſuam ita augeri obſeruauit, vt denuo opem a nobis peteret. Dolor nunc maxime occupauit collum veſicae vrethraeque iſthmum, ſine omni partium externarum tumore et rubore; veſica valde intumuit; vrinam miſit cum ſatis acerbo dolore paucam; dolores lumborum et abdominis, cum aliquo inteſtini recti varicibus deturpati tenesmo, male eum habuerunt. Pulſus a norma ſua, maiore frequentia et plenitudine parum receſſit. Orthoſtadius et hoc ipſo die, domo exceſſit. Anum et perinaeum, vt fomento tepido vinoſo curaret, ſimulque kali tartaricum cum extracto millefolii, aqua meliſſae ſolutum, cochleatim ſumeret, praecepi. Poſtridie hora ante meridiem nona, noſtrum iterum inviſens, miſerrimam eius conditionem obſtupui. In lecto recumbens, multo cruento ichore foedus, horrendum partium genitalium adſpectum praebuit. Etenim, praeter veſicae tumorem, penis incuruus, immani ſuo tumore coloreque ſature rubro omnia vehementiſſimae inflammationis ſuperne

ad

ad pubis regionem, infra ad ſcrotum propagatae, ſigna obtulit. Varices in anò diſparuerunt. Partes inflàmmatas ſaeuus continuusque dolor tenuit. Sitim ingentem, propter mictionis metum, fallere non auſus eſt. Vrina cum ſummo dolore praeter voluntatem perpetuo exſtillauit. Frontem gelidus ſudor habuit, linguamque ſumma ariditas; arteriarum pulſus parui, duri celeresque deprehendebantur.

Praeterita nocte ingente conatu moreque ſibi ſolito vrinam exprimens, in hanc conditionem peruenit miſerrimam.

Pluribus ilico in auxilium conuocatis medicis, vena ſecabatur, penis multis minutisque inciſionibus ſcindebatur, quam ſanguinis mittendi rationem vulgo ſcarificationem dicunt; omnesque affectae partes aqua ſaturnina diligentiſſime fouebantur. Interno vſui ſatis liberaliter kali nitricum datum eſt, aqua ſolutum,

ad-

addito etiam oxymelle ſimplici. Veſpere totus penis, cuius vulnuscula atrum plorabant cruorem, foetidumque ichorem, iam liuuit; nocte ſuh crudeli dolore gangraena latius ſerpſit. Partes affectae corticis Peruani decoctione curabantur, ſimulque dati ſunt pulueres ex moſcho et camphora.

Poſtridie ſatis mane eum inuiſens, nil ſpei ſupereſſe, facile cognoui. Etenim ad ſymptomata priora iam ſatis mala, multo acceſſere peiora. Pulſus veluti diffluens fuit, et rarus. Aegrotus viribus omnino confectus, inſuper ſingultu, ructibus foetidis, vrinae ſaporem referentibus et vomituritione angebatur. Mox mente non conſtantis, frigus cum tremore tendinumque ſubſultu partes corporis extremas habuit; et ſic plures poſt horas veſpere miſer exſpirauit.

In cadaueris ſectione, d. IX. April peracta ſatis rapidum admirati ſumus putredinis progreſſum non partibus ſolum geni-

genitalibus abdominisque integumentis manifesta putredinis indicia exhibentibus; verum etiam toto cadauere teterrimum late spirantem odorem. Secto abdomine, huius viscera intestinaque ipsique adeo vretheres nil prorsus vitii habuerunt. Exenterata, vt accuratius contemplaremur, cum partibus genitalibus vrinaria vesica, in tunicis suis solito crassior, venisque picta apparuit longe plurimis, sine varicibus ad amplitudinem pennarum corvinarum maiorum aequabiliter dilatatis, in interiori vesicae pagina artificiosi reticuli ad formam affabre dispositis. Penis vrethraeque cauernosa corpora omni vitio vacarunt; vacauit etiam vrethra, quam provide suspensaque manu incidimus, nisi quod in isthmo eius, maxime dextrorsum rupturam longitudine sua quatuor aequantem lineas manifesto deprehenderemus. Ductus seminis excretorios ea inuenimus amplitudine, vt acus haud minimae globulum admitterent. Circa hos ductus plurima paruula contemplati sumus orificia, quae nobis quidem excretoriarum prostatae viarum ostia esse videbantur. Prostatam minime iusto ma-

iorem

iorem, duriorem tamen invenimus; COWPERI glandulas itidem duriores deprehendimus, Teſtes autem, quo minus accuratius examinaremus, impedimento nobit fuit putredo, quae interiorem eorum fabricam penitus deformauerat.